

Les sources manuscrites de la théorie de la musique  
(S. IX-XVI)

---

Colmar, Bibliothèque municipale (F-CO)  
Ms. 406 (Cat. 227), f. 139v  
Transcription : Christian Meyer  
(mai 2003 – rév. nov. 2017)

<sup>1</sup> Cum omnes cantus sive sint autenti sive plagales, modificari debeant regulariter per ascensum debitum et descensum. <sup>2</sup> Scendum quod omnes autenti a finali usque ad octavam quod est dyapason regulariter ascendunt et licenter ad nonam vel decimam. <sup>3</sup> Descendunt autem a finali ad proximam praeter quintum, cui nulla infra finalem descensio attributa est ob nullam aliam causam nisi quod semitonii imperfectio competenter fieri descensum non permittit. <sup>4</sup> Plagales autem omnes a finali usque ad quartam, quod est dyatesseron, ascendunt, licenter quintam assumunt, raro tamen, quia si ter vel quater quintam contigeret, autento deputaret, ut *Ecce tu pulcra es.* <sup>5</sup> Descendunt etiam a finali similiter ut ascendunt. <sup>6</sup> Quartus autem competentius per dyapente quam per dyatesseron cadit et resurgit. <sup>7</sup> Quod autem dicuntur autenti ascendunt ad octavam et plagales ad quartam a finali, intelligendum est potentia non actu semper, ut patet in istis antiphonis : *Ecce in nubibus celi* et *Consolamini.* <sup>8</sup> Hec ista figura diligenti inspectori potest luculentissime demonstrare.


---

<sup>2</sup> IOH. COTT. mus. 12, 8

<sup>3</sup> IOH. COTT. mus. 12, 11, 13

<sup>4</sup> (quia si...) cf. IOH. COTT. mus. 12, 16-17

<sup>6</sup> cf. IOH. COTT. mus. 19, 10



<sup>9+</sup> Autentu<sup>+</sup> <...> ad finem paulatim ducere laus est. In acutis magis vagetur cum in quinta bis vel ter pausaverit, finalem repetat rursumque festinando ad superiora se levet, pulcre per dyapente deponitur et levatur. <sup>10</sup> Pausa note cum sensus pausatione fiat. <sup>11</sup> Caveatur vitiosa repetitio eiusdem note. In quibusdam tamen est pulcrum si bis repetuntur.

8 (fig.) cf. IOH. COTT. mus. 19 (CSM, p. 2, p. 122)

9 (ad finem-est) IOH. COTT. mus. 18, 23 | (in acutis... se levet) cf. IOH. COTT. mus. 19, 6 ; GOB. PERS. p. 188b

11 cf. GOB. PERS. p. 188a

<sup>12</sup> Plagalis finem precipitare decet. In quarta rarissime pauset, in quinta nunquam. <sup>13</sup> Sed si eam contigerit, raptim recurrat. <sup>14</sup> Libere per dyatesseron sub et supra vagetur, sed in quarto competentius per dyapente. <sup>15</sup> In letis verbis cantus levetur, in tristibus vero deprimatur.

<sup>16</sup> Notandum quod quatuor sunt finales tantum videlicet ·D·, ·E·, ·F·, ·G·, quia apud Antiquos quatuor toni tantum habebantur.

<sup>17</sup> Moderni autem priorum inventa subtilius examinantes, considerabant armoniam tonorum confusam ac dissonam. <sup>18</sup> Videbant namque cantum eiusdem toni nunc in gravibus principium habere et circa ipsas vagari. <sup>19</sup> Nunc vero in acutis inchoari videre maxime commorari. <sup>20</sup> Et immo unumquemque tonum in duos partiti sunt, ut qui in acutis versaretur autentum vocaretur, qui vero in gravibus moram faceret, plagalis vocaretur.

<sup>21</sup> Primus ergo vocatur autentus protus, secundus plagalis protus, tercius autentus deutrus, quartus plagalis deuterus, quintus autem tritus, sextus plagalis tritus, septimus autentus detrardus, octavus plagalis detrardus. <sup>22</sup> Interpretatur autem protus primus, deutrus secundus, tritus tercius, tetrardus quartus. <sup>23</sup> Autentus principalis, plagalis collateralis exponi potest.

<sup>24</sup> Quidam cantus in proprio cursu deficientes, alienas sibi finales usurpant, ut protus, deutrus, tritus, quia affines habent. <sup>25</sup> Affines enim istas voces dicimus, quae in depositione et elevatione concordant. Verbi gratia ·D· finalis proti cum acuta ·a·, ·E· finalis deuteri cum acuta ·b·, ·F· finalis triti cum acuta ·c· concordat, quia

**12-13** cf. GOB. PERS. p. 188b

**13** cf. IOH. COTT. mus. 19, 5;

**14-15** cf. IOH. COTT. mus. 19, 9-10

**15** cf. GOB. PERS. p. 188a

**16-19** (quatuor toni...) IOH. COTT. mus. 10, 31-33

**21-23** cf. IOH. COTT. mus. 10, 35-37

**24-25** cf. GOB. PERS. p. 195b

similiter deponuntur et elevantur.<sup>26</sup> Sed quoniam finalis tetrardi huius affinitatis vicarium habere non potest, ipse suum officium per se convenienter administret.<sup>27</sup> In aliis autem, si <in> proprio cursu deficit, in affinibus cantetur, ut absque errore ad finem perveniat, ita tamen ut <sup>+</sup>...<sup>+</sup> in ascendendo et descendendo circa affines sicut circa finales uniformiter teneantur prout superius est expressum.

---

**26** IOH. COTT. mus. 14, 11